

neque secundum auditum aurium audiet : convenit iustitia , & æquitas incorruptibilis ; unde in citato loco Isaïæ subditur : *Sed iudicabit in iustitia pauperes , & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Et Isaïæ 42. *Dedit spiritum meum super eum , iudicium Gentibus proferet . Non clamabit , neque accipiet personam , nec auditur vox ejus foris . Calamum quassatum non conteret , & lignum fumigans non extinguet , in veritate educet iudicium :* Convenit denique illi potestas necessaria ad iudicandum ; unde dicitur Joannis 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere , quia Filius hominis est ;* & Actorum 10. *Constitutus a Deo iudex vivorum & mortuorum.* II. Eodem modo convenit Christo iudiciaria potestas , ac regia dignitas ; sed regia dignitas convenit ei principaliter qua Deus est , & minus principaliter qua homo ; ergo ita pariter iudiciaria potestas . III. Minorem potestatem in iudicando habet Christus ut homo , quam Christus ut Deus ; ergo Christus ut homo habet potestatem minus principalem , quamvis eminentissimam , & tantam , quantum potuit habere ut homo , & quantum potuit Deus ipsi tribuere . IV. Christus ratione unionis hypostaticæ non exigebat essentialiter iudiciariam potestatem , sed tantum congruenter : ergo ex commissione Dei ; sed quod ex commissione habetur , minus principaliter habetur ; quia principaliter potestas residet in committente : ergo Christus ut Deus habet principaliter iudiciariam potestatem , minus vero principaliter ut homo . V. Plena iudicandi potestas requirit auctoritatem in sententiando , & potentiam in retribuendo ; Sed hæc duo sunt in Deo per naturam , & in Christo homine per gratiam : ergo Christus Dominus habet iudiciariam potestatem principalem , & naturalem secundum divinitatem , minus vero principalem , & commissam secundum humanitatem . Hoc argumentum est S. Bonaventuræ in 4. dist. 48. art. 1. q. 1. *Et auctoritatem in sententiando , & potestatem in retribuendo . . . Quoniam ergo potestas iudiciaria respicit illa duo jam dicta , & illa sunt in Deo per naturam , & in Christo homine per gratiam ; & ideo iudiciaria potestas est Christi secundum divinitatem per naturam , secundum humanitatem collatam per gratiam , unde secundum utramque naturam habet auctoritatem , sed secundum divinitatem principalem , & na-*

PAR. III.

*turalem ; secundum humanitatem , commissam , unde constitutus est . VI. Si Christus ut homo principaliter iudicaret , ideo esset , quia esset Redemptor ; sed hæc ratio non obstat : ergo &c. Probatur minor : Christus ut Redemptor habet dominium super homines , & illos admittit ad regnum ; sed hæc omnia facit ut homo , prout habet rationem causæ meritoriae pro nobis , & causæ meritoria non potest esse principalis : ergo ratio illa non obstat . Minor patet , quia causæ meritoria non causat , nisi acceptetur ab alia causâ principaliori : ergo hæc causâ principalior principaliter causat : ergo causâ meritoria minus principaliter causat .*

Obstant I. Joannis 12. Christus asserit , se non esse iudicem : ergo Christo non convenit iudiciaria potestas . Probatur antecedens . Dicitur ibi : *Si quis audierit verba mea , & non custodierit , ego non iudicabo eum ; non enim veni , ut iudicem mundum , sed ut salvificem mundum : qui spernit me , & non accipit verba mea , habet qui iudicet eum.* II. Actorum cap. 13. Apostolus alloquens Areopagitas , dixit , quod Pater , qui suscitavit Christum a mortuis , & fidem præbuit omnibus , ipse iudicaturus est Orbem in Christo : ergo Patri convenit , non filio , iudiciaria potestas . Probatur antecedens . Legitur enim ibi : *Eo quod statuit diem , in quo iudicaturus est orbem in æquitate in viro in quo statuit , fidem præbens omnibus , suscitans eum a mortuis .* III. Clemens Alexandrinus lib. 1. pedagogi cap. 2. a nobis allatus in probationibus Patrum Græcorum , asserit , iudiciariam potestatem Christo , ut filio Dei , non ut filio hominis , convenire ; ergo Christus ut Deus , & non ut homo , habet , ut sit iudex vivorum , & mortuorum . IV. Joannis 5. habetur , quod Christo conveniat iudiciaria potestas , ut filius hominis est : ergo Christus qua homo , & non qua Deus , habet principaliter iudiciariam potestatem . Probatur antecedens . Continentur enim ibi verba hæc : *Potestatem dedit ei iudicium facere , quia filius hominis est . V. Iudex vivorum , & mortuorum erit visibilis corporaliter in ultimo iudicio , tam ab electis , quam a reprobis : ergo principaliter erit Christus ut homo . Probatur antecedens . Lucæ 21. legimus : Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna , & maiestate : ergo visibilis erit iudex : ergo principaliter ut homo*

V u

judi-